

# TITE-LIVE

## Texte de la séance 2

### Le combat des Horaces et des Curiaces

Forte in duobus tum exercitibus erant trigemini fratres, nec aetate nec viribus dispares. Horatios Curiatiosque fuisse satis **constat**, nec **ferme** res antiqua alia est nobilior; tamen in re tam clara nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint. Auctores **utroque** trahunt; plures tamen invenio qui Romanos Horatios vocent: hos ut sequar inclinatus animus. Cum trigeminis **agunt** reges ut pro sua quisque patria **dimicent** ferro: “ ibi imperium fore unde victoria fuerit”. Nihil **recusatur**; tempus et locus **convenit**. Priusquam dimicarent, foedus **ictum** inter Romanos et Albanos est his legibus ut **cujusque** populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace **imperitaret**. (...)

Foedere icto trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Cum sui **utrosque** adhortarentur, “**deos** patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus”, feroces et **suapte** ingenio et pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Considerant **utrimque** pro castris duo exercitus, periculi magis praesentis quam curae **expertes: quippe** imperium agebatur in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo **erecti** suspensique in minime gratum spectaculum animo incenduntur.

Datur signum, **infestisque** armis velut acies **terni** juvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt. Nec his nec illis periculum suum, publicum imperium servitiumque **obversatur** animo futuraque ea deinde patriae fortuna quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu **increpuere** arma **micantesque fulsere** gladii, horror ingens spectantes perstringit et, **neutro** inclinata spe, **torpebat** vox spiritusque. **Consertis** deinde manibus, cum jam non motus tantum corporum agitatioque **anceps** telorum armorumque sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent, duo Romani super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes **corruerunt**. Ad quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, **exanimis vice** unius quem tres Curiatii circumsteterant. Forte is integer fuit, ut universis solus **nequaquam** par, sic adversus singulos ferox. Ergo ut **segregaret** pugnam eorum **capessit** fugam, ita ratus **secuturos** ut quemque vulnere adfectum corpus sineret. Jam aliquantum spatii ex eo loco ubi

**pugnatum est** aufugerat, cum **respiciens videt** magnis intervallis sequentes, unum haud procul ab sese abesse. In eum magno impetu rediit; et, dum Albanus exercitus inclamat Curiatis uti opem ferant fratri, jam Horatius caeso hoste victor secundam pugnam petebat. Tunc clamore qualis **ex insperato** faventium **solet** Romani adjuvant militem suum; et ille **defungi** proelio **festinat**. Prius itaque quam alter - qui **nec** procul aberat - consequi posset, et alterum Curiatium conficit. Jamque **aequato** Marte singuli supererant, sed nec spe nec viribus pares: **alterum** intactum ferro corpus et geminata victoria ferocem in certamen tertium dabat; alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus victusque fratrum ante se **strage** victori objicitur hosti. Nec illud proelium fuit. Romanus exsultans «Duos, inquit, fratrum manibus dedi; tertium causae belli **hujusce**, ut Romanus Albano imperet, dabo.» Male sustinenti arma gladium **superne jugulo defigit**, jacentem spoliat.

Romani **ovantes** ac gratulantes Horatium accipiunt, eo majore cum gaudio, **quo** prope metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur, quippe imperio alteri aucti, alteri **dicionis** alienae **facti**. **Sepulcra exstant** quo quisque loco cecidit, duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam **versus**, sed distantia locis, ut **et** pugnatum est.

Priusquam inde digrederentur, roganti Mettius ex foedere icto quid imperaret, imperat Tullus uti juventutem in armis habeat: “usurum se eorum opera si bellum cum **Veientibus** foret”. Ita exercitus inde domos abducti.

Princeps Horatius ibat, trigemina spolia prae se gerens; cui soror virgo, quae **desponsa** uni ex Curiatis fuerat, **obvia** ante portam Capenam fuit, cognitoque super umeros fratris **paludamento** sponsi quod ipsa confecerat, solvit crines et **flebiliter** nomine sponsum mortuum appellat. Mouet feroci juveni animum comploratio sororis in victoria sua tantoque gaudio publico. **Stricto** itaque gladio, simul verbis increpans transfigit puellam: « Abi hinc cum **immaturo** amore ad sponsum, inquit, oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. Sic eat quaecumque Romana **lugebit** hostem. » Atrox visum id facinus patribus plebique, sed recens meritum facto obstabat. Tamen raptus in jus ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingrati ad vulgus iudicii ac secundum iudicium supplicii auctor esset, concilio populi advocato, «Duumviros, inquit, qui **Horatio perduellionem judicent**, secundum legem facio. » Lex **horrendi** carminis erat: “ Duumviri perduellionem judicent ; si a duumviris **provocarit**, provocatione **certato**; si vincent, caput **obnubito**; **infelici arbori reste** suspendito; verberato vel intra **pomerium** vel extra pomerium.” Hac lege duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege ne **innoxium** quidem posse, cum condemnassent, tum alter ex iis: « Publi Horati, tibi perduellionem iudico, inquit. I, lictor, colliga manus. » Accesserat lictor injiciebatque **laqueum**. Tum Horatius auctore Tullo, clemente legis interprete: « Provoco », inquit. Ita de provocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo iudicio, maxime P. Horatio patre proclamante “ se filiam jure caesam iudicare; ni ita esset, patrio jure in filium animadversurum fuisse ”. Orabat deinde “ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, **orbem** liberis facerent”. Inter haec senex juvenem amplexus, spolia

Curiatorum fixa eo loco qui nunc **Pila Horatia** appellatur ostentans, « Huncine, aiebat, quem **modo** decoratum **ovantemque** victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub **furca** vinctum inter **verbera** et cruciatus videre potestis ? **quod** vix Albanorum oculi tam **deforme** spectaculum ferre possent. I lictor, colliga manus quae paulo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis hujus; arbore infelici suspende; **verbera** vel intra pomerium, modo inter illa pila et spolia hostium, vel extra pomerium, modo inter sepulcra Curiatorum. Quo enim ducere hunc juvenem potestis ubi non sua **decora** eum a tanta foeditate supplicii vindicent? » Non tulit populus nec patris lacrimas nec ipsius parem in omni periculo animum; absolveruntque admiratione magis virtutis quam jure causae. Itaque, ut caedes manifesta aliquo tamen **piaculo lueretur**, imperatum patri ut filium **expiaret**, pecunia publica. Is, quibusdam **piacularibus** sacrificiis factis quae deinde genti Horatiae tradita sunt, transmisso per viam **tigillo**, capite **adoperto** velut sub jugum misit juvenem. Id hodie quoque publice semper reffectum manet: sororium tigillum vocant. Horatiae sepulcrum, quo loco corruerat icta, constructum est **saxo quadrato**.

**Tite-Live, *Histoire romaine*, I , 24-26**